



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dispvatio II. De Quantitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

XLIII. Respondeo 2^o, vel Substantiam secundum se dividi ut Universalem reduplicativè seu formaliter, vel specificativè seu materialiter; ita ut illa, quæ est Univerfalis in actu exercito dividatur. Si 1^{um}, nequit dividi in 1^{um} seu singularem Substantiam, quia 1^a non est Univerfalis. ut Univerfalis reduplicativè, sed specificativè ut summum: si 2^{um}, nequit dividi in 2^{am}, quia ut sic est 1^a. nam Substantia Univerfalis ut Univerfalis specificativè, est multæ singulæ & 1^a, aptæ concipi conceptu universalificante, quæ sunt unum è membris dividendibus, & dividi non possunt in 2^{am}, sive Univerfalem in actu signato, ut patet. Quodd autem aliqui adferunt ex D. Thoma, Substantiam secundum se non dicere nisi prædicata sua essentialia, inter illa includunt hæcceitatem, vel omnino falsum est; quia præterquam quodd supra Disp. 4. de Specie Dub. 2^o. ostenderimus, hæcceitatem esse magis rigorosè essentialiam, quàm sit Differentia specifica, omnia prædicata essentialia ex parte objecti sive naturæ sunt formalissimè hoc, ut probatum est Tract. 1^o. Disp. 2^a Dub. 4^o & Tract. 2^o. Disp. 5^a. de Individuo Dub. 3^o. nisi sumantur formaliter ut confusè concepta in actu exercito; verum hoc modo sunt unum ex membris dividendibus, ut constat ex dictis.

XLIV. Probatur 2^o, quia Substantia prædicamentalis considerata præcisè secundum essentiam est in communi & abstracta, ut patet ex dictis. Quo posito, sic argumentor, vel Substantia præcisè considerata secundum essentiam, dividitur in modos

substanti Accidentibus primariò & individualiter, ac secundariò & Univerfali, formaliter ut in communi & abstracta, vel materialiter: si 1^{um}, ergò divisum includit unum è membris dividendibus, scilicet modum substanti accidentibus secundariò & Univerfali: Si 2^{um}, ergò includit alterum scilicet modum substanti accidentibus primariò & individualiter, quia ut sic est ipsæ Substantiæ singulæ, ut diximus. Ergò divisio Substantiæ præcisè considerata secundum essentiam tamquam Substantiæ in duos substanti accidentibus modos, primariò scilicet & individualiter, & secundariò ac Univerfali nulla est, propter rationem supra datam. Ex his

XLV. Colliges. allatam divisionem nullatenus esse communem univocam in duo univoca univocata, quia hæc deberet aliquid addere supra rationem communem, & præterea illa ab illis perfectè præscindere, quæ hic non reperiuntur.

RESOLUTIO II.

XLVI. Dico 2^o. allata divisio non est vera divisio, sed enumeratio Substantiarum, quæ sub Substantia principe sive supremo Genere collocantur, quasi diceretur; sub Substantia prædicamentali in Genere, alia est Univerfalis, alia singularis; sub Platone, alius secundus Discipulus, alius primus, &c.

XLVII. Probatur, quia ut Resolutione 1^a. probatum est, non apparet quodnam ibi sit divisum & qualis sit divisio, ergò, &c.

DISPUTATIO SECVNDA

De Quantitate.

D V B I V M I.

Quæ divisiones Quantitatis.

XLVIII. Nullam definitionem Quantitatis hic tradit Aristoteles, sed ad illius divisiones immediatè procedit. Quare, sit

RESOLUTIO.

XLIX. Dico Quantitas dividitur 1^o. in discretam & continuam.

I. Discreta est cujus partes nullo termino communi copulantur, ut binarius, ternarius, &c.

II. Continua è contra cujus partes termino communi copulantur, ut linea, superficies, &c. Vbi per terminum aliquid indivisibile intellige, vel simpliciter, ut instans in tempore, punctum in linea; vel secundum quid, id est, secundum unam dimensionem, ut linea in superficie, superficies in corpore: hæc autem dicuntur terminus communis, quia sunt finis unius partis, & initium alterius.

III. Quantitas Discreta subdividitur in successivam & permanentem. Discreta successiva est, cujus partes, nec termino communi copulantur, nec possunt esse simul, ut oratio.

IV. Discreta permanens est cujus partes non copulantur termino communi, sed tamen possunt esse simul, ut numerus rerum permanentium, qui ulterius subdivi-

vidi potest in binarium, ternarium, &c.

LV. Quantitas continua etiam subdividitur in successivam & permanentem.

LV. Continua successiva est cujus quidem partes termino communi copulantur, sed non possunt esse simul, ut tempus.

LVI. Continua permanens est cujus partes termino communi copulantur, & possunt esse simul, ut linea. Quantitates autem continuas Aristoteles quinque adfert; lineam scilicet, superficiem, corpus, locum & tempus.

LVII. Linea est res longa, carens latitudine & profunditate, cujus partes puncto copulantur.

LVIII. Superficies est res longa & lata, carens profunditate, cujus partes linea copulantur.

LIX. Corpus est res sive longitudo (ut excludas corpus completum de prædicamento substantiæ, & incompletum partem viventis) lata & profunda, cujus partes superficies copulantur. Pro quibus

XX. Nota Mathematicos, ut facilius quid linea, superficies & corpus concipiant, rectè sibi representare ex recto fluxu puncti fieri lineam, ex fluxu lineæ superficiem, & ex fluxu superficiæ corpus.

XI. Locus est superficies corporis continens locatum, ut v. g. aeris superficies, quæ proximè ambit turrim.

LXII. Tempus denique est quantitas successiva, cujus partes instanti copulantur: partes autem temporis sunt præteritum, præsens & futurum.

LXIII. Dividitur 2^o. Quantitas in Quantitatem per

per se, & Quantitatem per accidens. Quantitas per se est, quæ est Quantitas essentialiter & ratione sui præcisè, ut linea, tempus, &c.

LXIV. Quantitas per accidens est, quæ ratione alterius & non ratione sui præcisè, est quantitas, sic albedo ratione superficies in qua recipitur, est quantitas.

LXV. Dividitur 3^o. in Quantitatem habentem positionem partium, sive situm, & in non habentem; ad hunc autem situm duo requirunt Philosophi, continuationem scilicet & cõexistentiam partium; hinc linea, superficies, &c. sunt Quantitates habentes positionem partium; numerus verò & locus non habentes.

D V B I V M I I.

An Quantitas molis sit accidens aliquod realiter distinctum à materia 1^a.

R E S O L U T I O.

LXVI. Dico, cum Nominalibus, Okamo in 4^{um} q. 4. & quodlib. 4^o a. q. 29. Gabriele in 4^{um} dist. 10. q. unica. Majore in 2^{um} dist. 12. Eximio P. Nostri Bachone in 3^{um} dist. 15. art. 2^o § 3^o ubi ait, Corpus de Genere substantia formaliter ex seipso habet partem extra partem & non tantum per Quantitatem (puta situale) quæ est accidens. Hancq; Sententiam putat P. Arriaga Disp. 5^a Metaph. n. 10. probabiliorem contra Scotistas & Thomistas & Suarez è Societate, Hurtadum, Oviedum, Comptonum & Anthonium Rubium (qui non satis consideratè, ut postea patebit, ait, affirmativam esse in Philosophia evidentem, & negativam è contrà (si de supposita) ægrè aut nullo modo defendi posse) Quantitas molis non est Accidens aliquod realiter distinctum à materia 1^a.

LXVII. Probatur 1^o. quia, ea realiter identificantur, & frustra realiter multiplicantur, aut dividuntur, quorum nulla sunt signa realis distinctionis; sed talia non sunt materiæ 1^a & Quantitatis, ergò, &c. major patet; quia alioqui frustra essent illa signa, nec realiter identificata à realiter distinctis discernere possemus, ut consideranti patebit. Probatur minor, quia si aliqua essent talia, maximè ex mysterio Eucharistiæ deducerentur; sed ex illo deduci non possunt: probatur hæc minor, quia independentè à mysterio isto, probanda est realis distinctio Quantitatis à materia, quandoquidem illud solum convincat abesse materiam v. g. & remanere quantitatem situalem accidentium, quæ semper in eodem statu permanet, quamdiu virtute agentis circumstantis, (quod semper habet concursus Dei paratum ad augendum per rarefactionem vel aliter, aut minuendum per condensationem, vel aliter, extensionem illam situalem specierum, ut experientia docet) non augeatur aut minuitur. Vnde extensio ista potius refundi debet in defectum talis agentis, quam in Quantitatem molis ab ea realiter distinctam: sicut enim materia 1^a. sine Quantitate realiter à se distincta retinet 1^{am}. Quantitatem situalem, quam à Deo in creatione accepit, donec virtute agentis circumstantis augeatur aut minuat, ita & illa Accidentia, ergò, &c.

LXVIII. Dices, fortè hinc sequi 1^o. nullam dari Quantitatem molis distinctam realiter ab entitate

cujuslibet entis materialis: 2^o. materiam 1^{am}. non nisi per Accidens & ob defectum circumstantis agentis potentis ejus extensionem situalem augere vel minuire, habere tantam vel tantam extensionem situalem; non verò ex Propria exigentia intrinseca; sic ut, quoddam punctum materialiter non reducatur, non procedat ab intrinseco, sed ex defectu extrinseco, unde penetratio dimensionum in Eucharistia, non erit miraculosa: hæc autem sunt contrà omnium auctoritatem, & periculosa, ergò, &c.

LXIX. Respondeo ad 1^{am}. sequelam, multitudinem quidem partium esse de essentia materiæ sive corporis, prout spiritui opponitur; juxta illud Eximii P. Nostri Bachonis in 3^{um} dist. 15. art. 2^o § 3^o. Definitio corporis est, quod est illud, quod extenditur, quoad omnes partes secundum Commentatorem 3^o Phys. Comm. 43^o ergò repugnat quod sit corpus, nisi intelligatur habere partes extra partes actuali extensione & formali, & non virtuali tantum. Quantitatem autem molis realiter distinctam ab entitate cujuslibet entis materialis minimè agnoscendā puto; quandoquidem totum, quod Quantitas faceret, satis salvetur in Quantitate situali, in esse tantæ vel tantæ extensionis, determinata ab ipso producente entitatem materialem, & defectu agentis circumstantis, potentis illam extensionem situalem augere vel minuire; ut quid enim entia sine necessitate multiplicare, & miracula, pro separatione reali istius Quantitatis à materia, de quo iterum infra?

LXX. Respondeo 2^o. concedendo 2^{am}. sequelam, sed nego indè sequi penetrationem dimensionum ultra naturalem virtutem agentium circumstantium, qualis est in Eucharistia, non esse miraculosam. Hinc

LXXI. Colliges, contrà alios, tantum abesse, ut multiplicemus hic miracula, quin potius ea omnino minuiamus. præsertim cum aliundè ibi remanere potentiam receptivam instrumentalem à materia realiter distinctam supponamus, de quo Disp. 2^a. Physic. Dub. 4^o. Tract. 1^o.

LXXII. Probatur 2^o. si Quantitas molis esset realiter distincta à materia 1^a, necessariò præsupponeret materiam quantam actu entitativè, ut omnes Adversarii fatentur. Sed hoc dici non potest, ergò, &c. Probatur minor; quia, cum eodem modo se habeat albedo v. g. formalis ad subjectum suum, quo Quantitas formalis ad entitativam, albedo præsupponere deberet partem entitativè actu album, & consequenter peccatum animam hominis entitativè actu peccatricem, &c. sicut Quantitas formalis præsupponit materiam entitativè actu quantam; frustra autem in forma duo realiter distinguuntur formale & materiale, nec ulla est necessitas agnoscendi albedinem unam v. g. quæ sit entitativè albedo & non formaliter, & aliam, quæ sit entitativè & formaliter albedo, quod fieri, propter rationis paritatem, deberet: imò absurdum videtur, animam Christi fuisse actu entitativè peccatricem, quod tamen indè sequitur, ergò, &c.

LXXIII. Dices fortè materiam 1^{am} independentè à Quantitate formali non habere partes, ita Soncinas 5^a. Metaph. quæst. 22. & plerique Thomistæ, ergò, &c.

LXXIV. Respondeo, negando assumptum, quia transubstantiari potest media tantum pars panis, eadem Quantitate remanente; item & corrumpi media pars alià remanente simul cum tota Quantitate,

tate, ergo in se independentem à Quantitate, habet partes; alioqui deberet simul perire media pars Quantitatis, quod non fit, nec necessarium est fieri, cum à Substantia panis realiter distinguatur. Deinde media pars panis potest conservari cum Quantitate, & media, sine quo casu, quæro an illa pars, quæ fuerit sine Quantitate fuerit Substantialiter eadem cum illa, quæ fuerit cum Quantitate? Respondere non potes, esse partem eandem, quia non est sub eadem Quantitate, quod, secundum te requiritur, ad habendum partem eandem. Nec etiam respondere potes, esse partem diversam; quia una non est sub Quantitate, & per te, ratio partis habetur à Quantitate. Unde non video, quid aliud respondere possis, quam quod una pars non sit pars quanta, sicut alia, licet una pars sit Substantialis, sicut alia. Ex quo clare sequitur intentum, ergo, &c. Hinc

LXXV. Colliges, contra Plerosque Thomistas, etiam independentem à Quantitate molis realiter distinctam, in omnium sententia admittendas esse partes actu in materia 1^a. ut profunde Docet Noster Bæho, loco supra citato.

LXXVI. Probatur 3^o. Quantitas molis realiter distincta, inventa & inducta est à Philosophis Christianis, contra omnem rationem naturalem, ad vitanda miracula in V. Sacramento, quæ alioqui admittere oporteret propemodum infinita: sed hoc motivum est omnino insufficiens, ergo, &c.

LXXVII. Probatur minor 1^o. quia si ad vitanda miracula liceat contra omnem rationem naturalem inducere ens aliquod novum & inauditum, sive Quantitatem novam; oportebit infinitas Quantitates molis solo numero distinctas simul in eadem materia admittere, modo quodam incorruptibili, ac proinde intelligibili, quod sic probo: quia sicut destructa in Consecratione Eucharistica materia panis, ibi inducitur nova & antea inaudita Quantitas, nè alioqui omnia accidentia sint sine subjecto, & sic multiplicentur sine fine miracula; ita, casu quo Deus simul cum materia panis destrueret Quantitatem, oportet novam & antea inauditam inducere; & ulterius, casu quo 1^{am} Quantitatem, & hanc 2^{am} novam simul cum materia panis destrueret, oporteret aliam 3^{am} inducere, & sic in infinitum, ne alioqui sine fine multiplicentur dicta miracula; quæ si tandem in aliqua destructione, necessario debere multiplicari admittas, admittere debes necessario multiplicari in 1^a. destructione panis, ne has Quantitates infinitas contra communem rationem admittere debeas, ergo, &c.

LXXVIII. Probatur minor 2^o. si ad vitanda miracula, quæ consequerentur privationem Quantitatis in V. Sacramento, oporteat admittere, Quantitatem realiter distinctam à Substantia remanere, similiter ad vitanda miracula antecedentia conservationem Quantitatis sine subjecto in eodem V. Sacramento, oportebit admittere agens naturale, naturaliter destruens per verba consecratoria materiam panis & naturaliter produciens sub speciebus Eucharisticis Corpus Christi (& sic de aliis, quæ Theologi Catholici iudicant unanimiter miraculose fieri) quod nullus admiserit, ergo, &c.

LXXIX. Probatur hæc sequela; quia cum Deus sit infinite potens, non est ipsi difficilius aut molestius mille & mille miracula facere, quam unum vel duo, ergo si ad vitanda miracula consequentia oporteat admittere Quantitatem, &c. oportebit et-

iam admittere agens naturale, &c. ad vitanda dicta miracula antecedentia; vel si hoc non oporteat admittere, neque Quantitatem, &c. admittere oportebit, propter rationis paritatem, ergo, &c.

LXXX. Dices 1^o. ad tegendum miracula, quæ in Eucharistiæ Sacramento fiunt, necessario recurri debet ad Quantitatem tamquam subjectum; licet ad eam non recurratur ad tegendum miraculum destructionis panis, & conversionis illius in Corpus Christi; sic ut hæc dicantur fieri naturaliter ad tegenda miracula istius destructionis & conversionis; sicut Quantitas ibi dicitur esse naturaliter, &c. quia hæc excedunt vires naturæ; illud verò, puta ibi esse Quantitatem, non, ergo, &c.

LXXXI. Respondeo 1^o. querendo, cur miraculum illud tegi debeat, potius quam miracula destructionis panis, & conversionis illius in Corpus Christi?

LXXXII. Respondeo 2^o. illud sufficienter tegi per potentiam instrumentalem receptivam materiæ, ab ea realiter distinctam, de qua Disp. 2. Physic. Dub. 4^o. Tract. 2ⁱ.

LXXXIII. Respondeo 3^o. sive remanserit, sive non remanserit Quantitas realiter distincta; eundem miraculum non magis tegi, quam experientiam manifestum sit, ibi esse miraculum & Substantiam panis esse destructam, quod experientiam manifestum non est; aut (si agatur ex supposito fidei, quod materia destructa sit) magis, quam experientia doceat, accidentia non conservari miraculose sine subjecto, sed in Quantitate miraculose conservata sine subjecto, quod experientia non docet.

LXXXIV. Respondeo 4^o. si ad tegendum miraculum existentie, &c. aditui possit existentia creaturæ, alioqui non habentis vestigium in natura; cur similiter aditui non poterit, ad tegendum miraculum destructionis, conversionis, &c. potentia destructiva & conversiva creaturæ, alioqui non habentis vestigium in natura? si enim illud præcisè ob miraculum tegendum non dicatur excedere vires naturæ; ita hoc præcisè ob tegendum miraculum, dici non debet excedere vires naturæ, ob rationis præcisam paritatem. Unde quod unum excedat vires naturæ, aliud non, desumi debet aliunde, quam ex hac ratione, ad vitandum miraculum, quæ in utroque casu æquè militat.

LXXXV. Dices 2^o. licet illa Quantitas molis à materia realiter distincta admittatur, non ideo oportet admittere infinitas in eadem materia: quia sicut, si Deus auferret à Petro substantiam propriam, secundum leges naturæ teneretur aliam illi substituere; ita & de Quantitate, si eam auferret. Deinde sicut nullus ob illud dicit in Petro fuisse infinitas substantias; ita nec dici debet ob hoc esse in materia infinitas Quantitates realiter distinctas.

LXXXVI. Respondeo negando assumptum, ad ejus probationem, respondeo esse disparitatem; eo quod nullus dicat præcisè admittendam substantiam à natura Petri realiter distinctam, quia Deus tenetur secundum legem naturæ eam illi dare, pro ut Adversarii dicunt præcisè ad vitanda Eucharistiæ miracula admittendam Quantitatem à materia realiter distinctam; si enim illud dicerent, etiam oporteret in Petro infinitas substantias admittere, sic ut destructa 1^a. præcisè admittenda, quia Deus tenetur secundum legem naturæ eam dare; alia præcisè supponi deberet, quia Deus tenetur præcisè se-

CUN-

cundum legem naturæ, aliam dare, & sic in infinitum: quia perseverante eadem necessitate præcisè propter quam forma admittitur, eadem vel alia ejusdem rationis perseverare debet, saltem naturaliter.

Solutio Objectionum.

LXXXVII. **O**bjicies 1^o. ex Aristotele 7^o. Metaph. Text. 7^o. *Longitudo, latitudo & profunditas sunt Quantitates & non Substantiæ, Quantitas enim non est Substantia.* Idem repetit Text. 8^o. ergò falsa nostra Resolutio, & consequenter falsum est, quod probatione 2^a. assumptum est, scilicet, Quantitatem realiter distinctam à Substantia, esse contrà rationem naturalem, & antè Eucharistiæ miraculum inauditam.

LXXXVIII. Respondeo, ex Aristotele nihil posse contrà nos concludi; quia in Prædicamentis distinguit Relationem à Substantia & Qualitate, Actionem à Passione, Situm ab Vbi; non quidem realiter, ut omnes fatentur, ergò solà ratione nostrà. Vnde consequenter, ad locum citatum, & similia, responderi potest, longitudinem, latitudinem & profunditatem esse Quantitates ratione nostrà distinctas à Substantia, ac proinde non Substantias (ut ait) ratione nostrà: cum quo stat, illas à Substantia realiter non distingui.

LXXXIX. Adde tamen, Aristotelem quoad Prædicamenta non exactè omnia inquisivisse; sed nobis utiliter de multis dubitandum, & consequenter resolvendum, reliquisse; uti expressè facit in fine Prædicamenti Relationis his verbis: *Fortasse autem difficile sit de hujusmodi rebus considerenter declarare, nisi sæpè pertractata sint; dubitare autem de singulis, non erit inutile.*

LXXXX. Objicies 2^o. materia exigit aliquam proprietatem realiter à se distinctam, quæ sit proxima ejus potentia, & instrumentum passivum ad recipiendā alia accidentia; sed illud commodè assignatur Quantitas molis, ergò, &c.

LXXXXI. Confirmatur, formæ habent proprietates suas realiter à se distinctas, ergò & materia.

LXXXXII. Respondeo negando majorem; nam sicut materia per se immediatè potest recipere Quantitatem molis secundum se, ita poterit illa accidentia; melius tamen dicitur illa recipi in potentia instrumentali materiæ, de qua paulò infra.

LXXXXIII. Ad confirmationem, præterquam quòd à forma ad materiam nulla sit consequentia, Respondeo: transeat major, quia solum vera est in aliquibus formis, ut in Physica patebit: nego consequentiam, ad proprietates enim in quibusdam formis admittendas, ut igne, aqua, &c. experientia nos cogit: de Quantitate autem molis realiter distincta nullam experientiam habemus; sed potius certam, secundum lumen naturæ, reputantiam.

LXXXXIV. Objicies 3^o, in Eucharistia Quantitas realiter separatur à Substantia, ergò distinguitur realiter ab illa. Probatur antecedens: quia de Fide est ibi definire Substantiam panis, & videtur remanere Quantitas tamquam subjectum cæterarum specierum, puta coloris, saporis, odoris, &c. aliàs omnes crearentur; omnes se statim penetrarent; & unius hostiæ consecratur species alterius hostiæ species, contrà experientiam similiter, penetrarent, imò & Corporale, manum Sacerdotis,

&c. defectu Quantitatis, à qua habetur impenetrabilitas, etiam secundum nos, ergò, &c.

LXXXXV. Respondeo distinguendo assumptum: Quantitas Substantiæ realiter separatur à Substantia, nego assumptum: accidentium, concedo assumptum. Sed hinc tantum sequitur, ipsa accidentia esse sibi ipsi Quantitatem, vel potius non agnoscendam pro illis Quantitatem realiter distinctam, magis quàm agnosci debeat realiter distincta à materia 1^a. ut patet ex dictis probatione 1^a. Ad ejus probationem pro 2^a parte, Respondeo ibi remanere potentiam receptivam instrumentalem materiæ, tamquam subjectum cæterorum accidentium, de qua potentia aliquid in Physica Tract. 2^o. Disp. 1^a. Dub. 4^o. Ex quo liquet, Species Eucharisticas posse calefieri, frige fieri, intendi, condensari, &c. naturaliter, licet sub illis nulla sit Quantitas; haud secus quàm si existerent in materia, vel unico facto conservationis istius potentia instrumentalis extrà subjectum miraculo. Licet tamen hæc potentia (quæ aliis videtur paradoxa) non esset, mallet dicere, in Eucharistia tot esse miracula, quot accidentia, nec illa posse calefieri, frige fieri, &c. nisi per elevationem agentis naturalis miraculosam, & sic dicere cum Psalmista: *Memoriam ibi Deus fecit mirabilium suorum*; quàm præcisè ad vitanda ista miracula ibi, fingere unam Quantitatem realiter distinctam, quæ sui vestigium aut signum ullum in natura non habet, & infinitas novas sine necessitate in naturam invehit, ob rationes præmissas.

D V B I U M III.

In quonam consistat ratio-formalis Quantitatis Prædicamentalis.

LXXXXVI. **A**ntè Resolutionem Suppono 1^o, ex communi Philosophorum sensu, rationem formalem Quantitatis generaliter sumptæ consistere in extensione partium, ita ut generaliter illud dici possit quantum, quod habet aliquam partium extensionem; & de hac intelligi potest Aristoteles in Textu.

LXXXXVII. Suppono 2^o partium extensionem esse triplicem. 1^a. dicitur entitativa, & nihil aliud est, quàm multitudo partium. 2^a. Quantitativa, & est forma, à qua subjectum est proximè exigens partes extrà partes localiter, sive situaliter cum impenetrabilitate, & hæc rectè dicitur Quantitas molis. 3^a. est extensio situalis sive localis, quæ nihil aliud est, quàm forma, à qua subjectum habet partes actu extrà partes localiter.

LXXXXVIII. Suppono 3^o. Quantitatem, quam vocant virtutis, non esse nisi improprie dictam Quantitatem, cum sit perfectio intrinseca cujuslibet entis.

LXXXXIX. Suppono 4^o. Philosophum quidem hic nullam tradere definitionem Quantitatis generaliter sumptæ, sed statim ab enumerandis Quantitatibus ordiri; verumtamen hanc ab ipso 5^o. Metaph. tradi. *Quantum est, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque, unum quid & hoc aliquid aptum est esse.* Descriptio autem, quam alii referunt, scilicet *Quantitas est forma accidentalis, à qua aliquid dicitur quantum, & aliqua dicuntur aliquot*, obscura est, & vix notior definito; nam æquè ignora-

ignoratur, quid sit *quantum* & *aliquot*, quàm quid *Quantitas*.

c. Suppono 5^o. Corporeum sive materiale rectè definiti, quod extensum habet partes extensas, id est extrà invicem realiter. Incorporeum verò sive Spirituale, quod extensum non habet partes extensas, id est extrà invicem realiter. Quidquid enim plures alii contrà sentiât, hæc definitiones sunt clares, & omnino conformes Augustino Tom. 4^o. lib. 2. de Incarnatione ad Medium: *Impossibile namque est de Incorporeo divisionem aliquam fieri*. Item & primario nostro modo apprehendendi corporeum & spirituale, fundanturque in modo existendi; tum Substantiæ corporeæ, scilicet, tota in toto & secundum quamlibet partem sui in qualibet parte loci; tum Substantiæ spiritualis, scilicet, tota in toto, & tota in qualibet parte loci. Definitiones autem, quas adferunt Recentioribus PP. Arriaga, Oviedus, Poncius & alii antiquiores, graves patiuntur difficultates. Si enim, cum illis, corpus (& idem est de Spiritu & Spirituali ex opposito) definias *Substantiam impenetrabilem in se penetratione partis cum parte, aut cum simili Substantia*; & corporeum, *Id quod in corpore connaturaliter subiectatur*; (præterquam quod Disp. 5^a. de Generatione ostendimus condensationem debere fieri per penetrationem partium) corpus, quod sit naturâ suâ penetrabile (de quo disp. 3. Physicæ) erit spiritus. Deinde non est cur materia considerata in statu præcisionis ab hac, non dividatur in exigentem Quantitatem molis, & exigentem subtilitatem, quâ donantur corpora gloriosa; hæc autem est penetrabilis in se penetratione partis cum parte, & cum aliis similibus. Denique non est ratio, cur potius materia 1^a. dicatur corpus incompletum, quàm forma materialis; & sicut anima rationalis rectè dicitur spiritus, ita anima equi v. g. rectè dicatur corpus incompletum; hæc autem est penetrabilis in se, penetratione partis cum parte, aut cum simili Substantia sive forma; si enim cum materia sit penetrabilis, à fortiori erit penetrabilis cum simili forma.

ci. Nec dicas, illud dici corpus, quod exigit Quantitatem: quia datur corpus, quod non exigit Quantitatem; forma v. g. nec est quare potius illud, quod exigit Quantitatem sit corpus, quàm illud quod exigit esse in Quantitate; nam utrique definitio corporis, ut præcisè opponitur spiritui in genere convenit; & uti quod habet rationem formæ inter spiritus, tam dicitur spiritus, quàm id quod habet rationem subiecti, ita, &c. Quod autem corporeum, malè etiam ita definiatur: Ratio est; quia cum ex eo, quod anima nostra spiritualis in corpore connaturaliter adhæsivè subiectetur, & tamen sit spiritualis, & non corporea, rectè inferatur, possibilem esse formam corpoream, quæ connaturaliter in spiritu subiectetur, & tamen sit corporea, & non Spiritualis (imò talem formam puto esse ubi divisibile Angeli); ex eo quod aliqua forma in corpore aut spiritu connaturaliter ut sic subiectetur, sive inhæsivè & sustentativè, sive adhæsivè tantum, malè inferatur corporeitas, aut spiritualitas formæ.

cii. Dixi, *Inhæsivè & sustentativè, sive adhæsivè tantum*; quia inhærentia, sustentatio & adhæsio tantum, impertinenter se habent ad corporeitatem & spiritualitatem; quia datur forma spiritualis, quæ inhæret & sustentatur, ut gratia sanctificans respectu animæ Iusti; & datur quæ adhæret tantum, ut anima nostra respectu corporis nostri; item da-

tur forma corporea, quæ adhæret tantum, ut corpus respectu animæ nostræ, à quo anima nostra denominatur corporata; & denique datur quæ inhæret ac sustentatur, ut anima equi respectu corporis eiusdem.

ciii. Nec dicas, omnes formas in esse pendentes à materia, sive quæ separatione ab illa, desinunt, ab omnibus Philosophis dici materiales & corporeas: quia (præterquam quod non dicantur materiales & corporeæ, quia à materia in esse pendentes, & separatione ab illa, desinunt; quia cum de eo nihil certi habeatur, id sine fundamento diceretur; sed è contrà à materia pendere & separatione ab illa, definire dicuntur, quia sunt corporeæ; quod omnino supponitur ex eo, quod Fide non constet esse spirituales & immateriales, &c. nec argumento alio probatur, quàm quia spiritualitas & immaterialitas extendi non debet, nisi ad ea, quæ Fides docet esse spiritualia & immaterialia) neutrum rectè dicitur, nisi sub hac distinctione; sunt materiales prout ly *materiale* sive *corporeum* opponitur *immateriali* sive *incorporeo*, sumpto pro eo quod à materia non pendet, sive quod separatione ab illa, non desinit, concedo: prout ly *materiale* opponitur *immateriali*, &c. sumpto pro eo, quod spiritus aut spirituale est, nego; quia si anima rationalis penderet à materia, uti gratia sanctificans ab anima spirituali pendet, non magis cessaret esse spiritualis, quàm gratia sanctificans, & tamen esset 1^o. modo materialis.

civ. Adde 1^o. punctum Substantiale Mathematicum, in Sententia Nostra, nec esse corpus, nec spiritum; sed Genus immediatè individuum sub Substantia: in Sententia verò eorum, qui negant genus posse immediatè individuari, dici essentialiter corpus vel spiritum; cur autem spiritus & non corpus, vel è contrà, præcisè attentis prædicatis utriusque essentialibus, non dicunt.

cv. Adde 2^o. gratiam sanctificantem v. g. secundum diversas partes suæ intentionis locum extensum occupantes, non facere gratiam esse corpoream; quia quælibet illius pars est localiter indivisibilis; ac proinde non facit extensum localiter secundum rem & materialiter, sed secundum locum & formaliter tantum, prout contingeret, si tres Angeli aut tria puncta Mathematica, ponerentur in tribus locis divisibilibus contiguus. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

CVI. **D**ico: ratio formalis Quantitatis Prædicamentalis consistit formaliter in partium extensione sive multitudine quæ extensione sive multitudine.

Probat 1^o. ex Aristotele 1^o. Physic. Text. 15^o. *Si Substantia & quantum sunt, duo sunt*, id est, diversi Prædicamenti, prout partes, & prout multæ. Consonanter loquitur Augustinus 5^o. de Trinit. cap. 10. *In his quæ magnitudinis* (quod æquivalet, partium multitudine) *Participatione magna sunt, aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnum est*. Quod æquivalet, aliud multitudo, aliud partes multæ. Adtipulatur etiam Noster Bacho. in 2^{um} Dist. 2. q. 4. art. 2^o.

CVII. Probat 2^o. ratione: quia ratio formalis Quantitatis Prædicamentalis consistit in aliqua extensione, ut omnes fatentur, atqui non consistit in ex-

extensione partium quā partium, quia ut sic est transcendentalis, & omnis Prædicamenti; neque in extensione molis, quā sit radicalis intrinseca impenetratio partium inter se & cum partibus illius corporis, ergo, &c. Minor pro 1^a parte patet. Pro 2^a in qua sola difficultas, probatur, quia radicalis ista impenetratio satis salvatur in ente materiali extenso præcisè sicutaliter, & defectu virtutis in agente circumstante ad ponendum partem materiæ aut accidentis materialis extrā vel intrā partem, aliter quā per rarefactionem aut condensationem, ut num. 67. quis enim dicit, esse in calore qualitatem ab eo realiter distinctam, quia per auditum, odoratum, &c. attingi non potest? item quis dicit, in materia esse qualitatem, vel ens aliquod ab ea realiter distinctum, quia ab alia creatura creari aut destrui non potest? & sic de infinitis aliis, quæ aliud non arguunt, quā ens unum talis naturæ, & defectum in creatura: & reverā si semel ista radicalis impenetratio intrinseca asseratur, explicari non poterit corporum rarefactio & condensatio; ut ostendemus in Libris de Generatione.

CVIII. Confirmatur 1^o. ab autoritate, quia nostra Sententia reipsā videtur Scoti & Divi Thomæ, imò omnium, qui Quantitatis rationem formalem ponunt in mensura & divisibilitate partium; non quidem quā partium, ut jam ostendimus, ergo quā mensura, quā divisibilitate, quā multitudine, &c.

CIX. Confirmatur 2^o. à Ratione: esse quantum, est effectus formalis Quantitatis, sicut esse coloratum est effectus coloris, ergo sicut coloratum non potest provenire nisi à colore, ita nec quantum ab alio provenire potest, quā à Quantitate: sed habere partes multas, est esse quantum, non quidem entitativè tantum, ut Dub. 1^o. vidimus, sed & formaliter, ergo ratio formalis Quantitatis consistit in multitudine partium, & quidem tali, quæ ab illis separari non possit, alioqui remanerent formaliter quantæ sine Quantitate formali, ut consideranti patebit. Quod autem negat Murcia Disp. 1^a. de Quantitate quæst. 2^a. illam remansuram quantam formaliter, eo quod non sit futura sensibilis, tangibilis, &c. parvi momenti est; quia inde non sequitur, non remansuram quantam formaliter præcisè, sed quantam formaliter sensibilibus, tangibilibus, &c. quæ toto cælo distinguuntur, ergo, &c.

D V B I V M IV.

Quæ sint Species Quantitatis Prædicamentalis.

Antè Resolutionem

ex. **A** Suppono 1^o ex dicendis in Physica, in continuo nulla dari indivisibilia Physica, sive terminantia, sive continuantia.

CXI. Suppono 3^o. dubium procedere de linea, superficie & corpore. Item de numero & oratione, motu & tempore, loco & pondere. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

CXII. **D**ico 1^o. neque linea, neque superficies est species Quantitatis Prædicamentalis distincta à corpore. Est contrā P. Oviedum, qui Met. Cont. 1^a. puncto 2^o. docet, contrariam esse omnium ferè Doctorum. Ita tamē Okam. Dur. & Nom.

CXIII. Probatur, quia species distinctæ non in-

cludunt se mutuo in suo conceptu formali intrinseco; sed Linea, & superficies includuntur in conceptu formali intrinseco corporis; & corpus in conceptu formali intrinseco lineæ, & superficiæ, ergo, &c. Major patet, quia est de ratione specierum distinctarum, includere differentias essentielles oppositas, ac proinde se mutuo à conceptu suo formali intrinseco excludere.

CXIV. Probatur minor, quia lineæ rectæ definitur corpus præcisè conceptum secundum longitudinem; superficies corpus præcisè conceptum secundum longitudinem & latitudinem; corpus individuum materiale conceptum secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. Vel sic etiam lineæ definitur potest, Quantitas contracta per longitudinem; superficies lineæ contracta per latitudinem; corpus superficies contracta per profunditatem, ergo, &c.

CXV. Confirmatur. Eodem modo se habent lineæ & superficies ad corpus, quo vivens & animal homini identificata ad hunc hominem; sed neque vivens, neque animal, sunt species Substantiæ Prædicamentalis distinctæ ab homine, & se mutuo in suo conceptu formali intrinseco includunt. Ergo, &c. Probatur major, quia sicut vivens identificatum huic homini, est homo præcisè conceptus secundum vitam; & animal eidem identificatum, homo præcisè conceptus secundum vitam & sensationem; ita lineæ est corpus præcisè conceptum, ut antè diximus. Minor patet pro 1^a parte, probatur pro 2^a. quia in primis quod vivens identificatum homini, in suo conceptu formali intrinseco includat hominem, statim ostensum est; quod verò homo includat vivens, clarum est; quia præterquam quod definiatur vivens sensitivus rationalis, est vivens contractum per sensitivitatem & rationalitatem, vel (quod in idem recidit) est animal contractum per rationalitatem. Ex his

CXVI. Colliges, longitudinem esse differentiam Metaphysicam contrahentem Quantitatem ad lineam; latitudinem, differentiam Metaphysicam contrahentem lineam ad superficiem; profunditatem, superficiem ad corpus; ad eum modum, quo animitas est differentia Metaphysica contrahens corpus ad vivens; sensitivitas vivens ad animal; & rationalitas animal ad hominem: ac proinde longitudinem, latitudinem & profunditatem esse Quantitates, & non Substantias secundum conceptum formalem præcisivum corporis, in quo formaliter includuntur; sicut illæ sunt differentię Metaphysicæ, & non Substantiæ secundum formalem conceptum præcisivum hominis, in quo formaliter includuntur, ut patet ex dictis in Porphyrio Disp. 6. de Differentia Dub. 5.

CXVII. Nec dicas 1^o. Aristotelem hic enumerare lineam & superficiem inter species Quantitatis; quia hic species non enumerat, sed Quantitates; rectè autē dicuntur Quantitates allato sensu. Tamen

CXVIII. Adde 1^o. Aristotelem hic Quantitates non enumerare ex propria Sententia, sed secundum vulgi opinionem, ut constabit infra de Numero & Oratione, Tempore & Motu, Loco & Pondere, prout ex Alberto & Commentatore 5^o. Metaph. Commento 18^o. rectè notat Suarez Disp. 41. Metaph. Sect. 3^a.

CXIX. Adde 2^o. Aristotelem 5^o Metaph. expressè docere, tempus & motum non esse quantitates per se, sed per accidens; ac proinde censeri non debet

debet hic enumerare Species Quantitatis propriè dictas.

cxx. Nec dicas 2^o. corpus non esse superficiem contractam per profunditatem, sed è contrà profunditatem superficiè terminatam. Item nec corpus esse Lineam contractam per latitudinem & profunditatem, sed profunditatem Lineà & superficiè terminatam & continuatam, ita scilicet ut sola profunditas sit in recto de essentia corporis, cætera in obliquo impotentur, & quasi præsuppositivè; nam intelligi non potest, quid profunditas in recto, nisi juxta nostram explicationem, dicatur esse differentia contractiva superficiè ad corpus, item intelligi non potest quid latitudo in recto, nisi dicatur esse differentia contractiva lineæ ad superficiem, alioqui similiter diceremus hominem esse rationalitatem in recto terminatam animalitate, quasi verò de essentia hominis esset sola rationalitas, quod nullus dicit.

RESOLUTIO II.

cxxi. **D**ico 2^o. Numerus, Oratio, Tempus, Motus, Locus & Pondus sunt veræ Species Quantitatis Prædicamentalis. Ita Eximius P. Noster Bacho in 2. dist. 2^a. q. 1. art. 2^o.

cxxii. Probatur, quia univocè conveniunt in ratione multi formaliter multitudine partium, quæ licet sæpè per respectum ad invicem faciant aggregatum per accidens, ut trinitas personarum vel potius personæ tres; quatenus tamen multitudini sive numerabilitati subsunt, faciunt cum illa concretum accidentale per se, haud secus quàm duo parietes

eadem albedine informati cum albedine faciunt concretum album per se, licet per respectum ad invicem, sint ens per accidens, ergo, &c.

cxxiii. Dices forte, hinc sequi exercitum, populum, cumulum lapidum, &c. per respectum ad formam concreti multi homines, multi lapides, &c. esse ens per se, sed hoc omnes negant, ergo, &c.

cxxiv. Confirmatur: multitudo, quæ est eorum forma saltè generica, est ens per accidens, ergo, &c.

cxxv. Respondeo, concessa majore distinguendo minorem: sed omnes negant exercitum, populum, &c. per ordinem ad formam concreti multi homines, multi lapides, &c. esse ens per se de Prædicamento Quantitatis, nego minorem; de Prædicamento Substantiæ, concedo minorem: verum

quæ in illo sunt Substantia & multa Substantia completæ, quæ faciunt ens Substantiale per accidens; in alio quatenus subsunt multitudini, v. g. sunt ens per se accidentale de Prædicamento Quantitatis; quatenus subsunt similitudini, de Prædicamento Relationis, &c. Ad Confirmationem autem

cxxvi. Respondeo negando assumptum: eodem enim modo multitudo se habet ad multa, duas trinitates v. g. quomodo se habet homo ad animam, corpus & unionem: imò sicut homo est tantum unus, quia tria illa, & non unum eorum tantum, hominem unum faciunt, quatenus subsunt humanitati; ita duæ unitates sunt una multitudo, quatenus subsunt multitudini; & non una tantum: quia duæ unitates multitudinem faciunt, & non una earum tantum.

DISPUTATIO TERTIA

De Relatione.

DVBIVM I.

Quid & Quotuplex sit Relatio.

RESOLUTIO I.

cxxvii. **D**ico 1^o. Relatio generaliter definitur ordo seu respectus unius ad aliud; qui quoniam est multiplex, sit

RESOLUTIO II.

cxxviii. **D**ico 2^o. Relatio generaliter sumpta dividitur 1^o in Realem & Rationis. Realis est, quæ est antè operationem intellectus. Rationis quæ post operationem intellectus, de quibus infra. Adverte tamen ly Reale ibi ita accipi, ut opponatur intentionali, non verò ficto; alioqui utraque esset Realis.

cxxix. Dividitur 2^o in Relationem secundum esse, & secundum dici: Secundum dici est entitas quædam absoluta, quæ (ajunt) quidem in suo conceptu formali non dicit respectum, à nobis tamen ob nostrum imperfectum concipiendi modum, sine respectu concipi aut explicari non potest. Verum malim illam confundere cum transcendentali (de qua statim) quæ idè à nobis concipi aut explicari non potest sine respectu, quia respectus est illi essentialis.

cxxx. Secundum esse est, quæ propriè & secundum se est relatio; nec malè hanc confundes cum Prædicamentali. Vndè meliùs

cxxx. Divides 2^o. Relationem in Transcendentalem & Prædicamentalem: Transcendentalis est respectus essentialis suo subjecto proximo, ut Scientia, omnipotentia, &c. Prædicamentalis est respectus accidentalis & contingens suo subjecto proximo, ut paternitas, similitudo, &c. sic enim clarè distinguuntur inter se, quidquid aliter alii illas definiant.

cxxxii. Dividitur 3^o. Relatio in mutuam & non mutuam. Mutua est cui in termino respondet alia Relatio, ut paternitas, cui in filio respondet filiatio. Non mutua cui in termino non respondet alia Relatio, ut paternitas, respectu Pauli, herilitas respectu Petri.

DVBIVM II.

An Respectus, qui Relationi Transcendentali est essentialis, sit Relationi isti quoad se, an quoad nos tantum essentialis?

cxxxiii. **A**Ntè Resolutionem hujus dubii (quod ab aliis non video propositum) & mihi maximi momenti est, tam pro Theologicis, quàm Philosophicis.

cxxxiv. Suppono 1^o. varia dari entia transcendentia-